

1646

1. Caporus, Georgius: Conclusiones aliquot selectae
ex jure naturali, divinis, gentium, civitatis, canonico,
historico, feudali, et publico imperii Germanici.
2. Edenius, Bernhardus: De damnorum culpa casuque
factorum, itemq. inspectorem praestatione
3. Rebhan, Johannes: De beneficio inventarii quod heredes
4. Tabor, Johannes Otto: Quando usurae supra alterum
tantum exigi possint?
5. Tabor, Johannes Otto: De intermediatione ad l. si videri
21. l. locat.
6. Tabor, Joh. Otto: De collationibus.

1647

1. Karl, Johannes Philippus: De amittenda hereditate
2. Rebhan, Johannes: De jurjurando, cum in genere,
tum in specie
3. Rebhan, Johannes: Trigae beneficiorum firmitas
competentium hypothecis

1647,

4. Faber, Joh. Otto: De constitutione, repetitione et privilegio dotis.
5. Faber, Joh. Otto: De servitutibus realibus.
6. Faber, Joh. Otto: De clausula codicillari.
7. Nieger, Johann Jacobus: De problemate intricatissimi societatis, quae est inter virum et uxorem respectu conjugalium acquiescentium.
8. Wolpman, Fridericus: De morte et quae ejus intuitu jure constituta.

1648

1. Piccius, Gregorius: De dispensationibus.
2. Jämb, Philippus: De culpa in contractibus praestanda.
3. Iner, Johannes Henricus: De curiis dominicalibus.
4. Haschhausen, Henricus: De executionibus tam in genere quam in specie.

1698

5. Kirchner, Alexander: De mora.
6. Ruland, Rutgerus: Conclusiones juridical
exhibentes purgationis iuramentum
7. Taber, Joh. Otto: De pacto retrovenditionis
8. Taber, Joh. Otto: Conclusiones ~~et~~ aliquot selectae
ex jure civili, pontificio, feudali et publico imperii
Germanici.
9. Taber, Joh. Otto: De testamento principi aut comiti
oblato.
10. Taber, Joh. Otto: De usu jurisprudentiae in analyt
et lit. ff. Cod de furtis
11. Taber, Joh. Otto: De usu syntheticae jurisprudentiae
in analyticae Spec. II.
12. Wernke, Christianus: De ratione status. Oratio
13. Wieland, Johann Heinrich: De remissione mercedis
facienda conductori ob sterilitatem

169

4.

5.

6.

7.

8.

1.


2.


3.

4.

9.

164





DISPUTATIO INAUGURALIS

Conclavianae inchoatae

EX JURE NATURALI,
DIVINO, GENTIUM, CIVILI CANO-
NICO, SAECONICO, FUDALI ET PUBLICO
IMPERII GERMANICI

Ad una singulas principia reducias & nova
interpretationibus demonstrandas

Quae sunt veritate

PRIMA VERITATE ATQUE IPSA

JUSTITIA REACTA

PROBATA IN UNIVERSITATE AMPLISS
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
IN CELEBRATISSIMA UNIVERSITATE
ALBERTINA MAGNIFICENTIA

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HO-
NORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORAL-
IBUS LEGITIME CONSEQUENDIS

Oratoris eruditio placidissima, ingenio publico ven-
tilanda praeparata

GEORGIUS COPERUS

Bochovii

1640


Loco horti publici

Admiratione et studio

PRINTORATI

Typis Joh. G. G. Anno 1640





DISPUTATIO JURIDICA

De

COLLATIONIBVS,

Quam

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,

Sub praesidio

Excellentissimi, Amplissimi & Consultissimi

VIRI

DN. IOH. OTTONIS TABORIS

JCti, & Antecessoris in illustri Argentoratensium
Universitate Primarij, Domini & Praeceptoris sui
aeternum colendi,

Publica eruditorum censura submittit

JOHANNES Schulze Hamburg.
Autor,

Ad diem 24 Septembris,

Horis locoque consuetis.



ARGENTORATI

Typis FRIDERICI SPOOR.

M. DC. XLVI.

*Disq. XX
439*

n. 22

1646, 6.





I. N. D. N. J. C.



N omnibus rebus æquitatis, quam stricti Juris, præcipuam & potio- rem esse habendam, in Jure nostro non uno in loco monemur, sicuti ex l. 8. & l. 13. §. 7. C. de Judic. l. 90. de R. J. l. 11. C. de Repudiis. l. 8. C. de Ederdo & multis aliis textibus patet. Studuisse autem in-

primis æquitati Prætores vid. Rittershus. ad Novell. part. 7. c. 22. n. 5. Si- quidem varia ab ipsis proposita Edicta, in quibus æquitate moti à ri- gore Juris Civilis sapius recesserunt, intuemur, abundè constat. Præ- clarum hujus æquitatis Prætorix exemplum nobis exhibet insignis Collationis materia l. 1. pr. de Collat. de qua publici saltem exercitii gratia, quove quotidianam & usu frequentissimam hanc materiam quadamtenus mihi familiarem redderem, hac vice aliquot theses proponere animum induxi, exactam ejus enodationem committens iis, qui ingenii acumine præditi, huic negotio justum, quod requirere videtur, tempus impendere cupiunt. Neque tamen aded me abster- rent à Sichardo ad rubr. C. de Collat. prolata, quod nimirum in toto Codice hac Collationis & Transactionis materia nulla difficilior extet, quæve subtilitati & varietati earundem præponderet, ut pro- pterea animum mutem; quo enim intricatior & difficilior hæc est materia, eò facilius veniam, si quid minus rectè positum in iis, quæ sequentur, reperietur, me impetraturum spero & confido.

THESIS I.

Implorato igitur Divini Numinis auxilio ad dissertationis susce- ptæ tractationem me converto constituens ejus partem & genera- lem & specialem. Generalis pars absolvetur Definitione & Divisio- ne. Definitio alia est nominis, alia rei. Nominalis definitio respicit 1. Etymologiam. 2. Homonymiam. 3. Synonymiam. 4. Paronymiã.

II.

Quoad Etymologiam, vocabulum Collationis à supino collatum
A 2 verbi



verbi confero inflectitur : hoc autem à præpositione inseparabili *Con* & verbo *fero* compositum videtur. Quæ duo verba in hac potissimum materiâ plurimum à se invicem differunt. Conferre enim pro simul & in medium inferre : Ferre autem pro auferre & adimere sæpius accipitur *l. 3. §. 2. h. t. l. 20. de bon. poss. contr. tab.* Qualis tamen acceptio verbo ferre aliàs & extra hanc materiâ etiam communis est, ut apparet ex *l. 15. §. 2. Locat. Cond. l. 6. pr. ad L. Jul. pecul. l. 1. de furt. §. 2. Inst. de Obl. qu. a. ex del. nasc. vid. Cujac. in comm. ad l. 1. h. t.*

III.

Respectu *Homonymiæ* vocabulum *Collationis* dupliciter in Jure sumitur, & generaliter, & specialiter. Priori modo denotat (1.) Contributionem quæ fieri solet, vel ex *L. Rhodiâ* ab his, quorum merces cõservatæ & salvæ sunt. *l. 1. ad L. Rhod. de jact. l. 2. §. 1. eod.*; vel ad reficiendam viam *l. 27. §. 3. de Usufr.* (2.) Communicationem bonorû à sociis duobus pluribusve in itâ societate factam *l. 1. §. 1. pro socio.* (3.) Translationem, sic enim usurpari non tantum in hac materiâ verû etiam alibi, docet *Coll. Jurid. Argent. th. 1. h. t.* veluti conferre alicui honorem, dignitatem &c. *Nov. 81. pr.* (4.) Intributionem, German. *Stewrgeld/oder Abzug den einer von eines Erbes wegen gibt. l. 13. §. 6. de Act. Emt. vend. tot. rit. C. de Collat. donator. & relevat.* (5.) Assignmentem & concessionem beneficii vacantis Ecclesiastici. *c. 1. & tot. tit. de concess. prebend. in 6. c. 9. & t. t. X. de prebend. & dignitat.* (6) Distinctionem librorum, ita *Novellæ Constitutiones* in novem libros seu capita divisæ *Collationes* dicuntur. *vid. Ritterhus. ad Novell. c. 1. n. 19.* (7.) Ratiocinationem, quæ circa res dubias ad indagandam veritatem instituitur. *Br. ad rub. h. t. pr.* Posteriori modo, specialiter scilicet & proprie in hac materia significat commixtionem & illationem propriorum bonorum cum paternis, ut omnia simul inter fratres emancipatos & suos dividantur ex æquo, quasi unum habeant patrimonium. *Cujac. ad l. 8. h. t.*

IV.

Ratione *Synonymiæ* pro conferre usurpari passim videmus has locutiones: in commune redigere *l. 1. §. 11. h. t. cum bonis aliis confundere l. 8. C. h. t. l. 8. C. de bon. proscript. & damnat.* Communioni subijcere *Gl. ad rubr. h. t.* *Collationis munere fungi, collationis munus sustinere, collatione fungi l. 3. de dot. collat.* Nostri vocant *Einwerffen/ in gemeine Theilung einbringen/ in die Theilung bringen/ Zur Erbschafft*

447
r. 22

schaffe einbringen Carpzov. part. 3. const. XI. Def. 14. Locutiones, quibus Galli in hac materiâ utuntur, Gothofr. in not ad l. 5. C. h. t. & ad Nov. 97. c. 6. & Cujac. in Paul. ad l. 7. de Coll. dot. & in recitat. C. h. t. annotarunt. Denique Paronymicè à voce Collationis descendit vocabulum Collatores, quorum in l. 18. C. de Episc. aud. Nov. 128. & passim mentio fit.

V.

Hæc de Nominis definitione: sequitur *realis*, quam ex Baldo Wesf. in II. h. t. n. i. ita tradit, quod scil. Collatio sit rei propriæ in commune illatio, ut hereditati communi permixta inter omnes coheredes æqualiter dividatur.

VI.

Divisiones Collationis à Dd. partim desumuntur ab objecto, partim à forma. *Ab objecto* petita videtur, quando collationem aliam faciunt generalem, scil. bonorum sicuti *h. t. rubr.* vulgò concipitur: aliam specialem, dotis nimirum, de qua *t. t. seq. de Collat. dot.* agitur: quæ collatio quoad personas ab illa differt, quod soli emancipati bona conferant: dotem etiam suæ his, quibuscum bonorum possessionem contra tabulas accipiunt. Cujac. in *π. de Collat. dot.* A causa formalis dividitur collatio in realem & cautionalem. l. 1. §. 9 & II. h. t.

VII.


Præmissis his, quæ ad generalem propositæ materiæ cognitionem spectant, ad specialem progredior tractationem, quæ in cognitione consentaneorum & dissentaneorum consistere videtur. Consentanea complectuntur propria & affinia. Propria respiciunt causas & Effectus. Causæ sunt vel externæ vel internæ. Externæ exhibent Efficientem & Finale. Illam subdivido 1. in remotam & propinquam. 2. in procreantem & conservantem.

VIII.

Causa efficiens remota Collationis est Prætor, qui concedendo emancipatis liberis Jure Civili incognitis, & in paternis successionebus nihil juris habentibus §. 9. *J. de hered. quæ ab intest. def.* unà cum liberis mortis tempore in potestate existentibus, nec tamen institutis, vel, ut oportebat, ritè exheredatis l. 8. §. 2. *de bon. poss. cont. tabb.* §. 12. *J. de hered. quæ ab int.* tam bonor. possessione contr. tabb., (quam primariò verba huius Edicti respicere videntur l. 1. *pr. h. t.* Cujac. in recit. C. h. t.

A 3

quàm



quam possessionem ex capite Edicti Unde liberi, si nimirum pater intestatus decessisset, illis quandam quasi injuriam intulisse videbatur. Quæ iniquitas vel exinde potissimum oriebatur, quod emancipati, per beneficium Prætoris bonorum paternorum participes facti, eorundem portionem aliquam, suis heredibus debitam, auferrent. Accedebat, quod emancipati, ex quo tempore sui juris essent effecti, omnia sibi acquirerent neque ea conferre cogentur: cum tamen è contrario in potestate retenti omnia patri, excepto tantum peculio castrensi vel quasi, acquirerent *l. 1. §. 15. h. r. l. 79. de acquir. hered. §. 1. Inst. per quas person.* quorum etiam, per suos patri acquiritorum, bonorum mortuo patre itidem aliquam partem emancipati ferebant. Ne igitur Prætor, dum emancipatis consulere studeret, liberis integri Juris hoc modo iniquam conditionem obruderet, eosque aliqua hereditatis parte privaret, de remedio, quo emergenti huic inæqualitati occurreret illatamque suis injuriam aliquatenus compensaret, cogitavit, conferendique necessitatem introduxit. Æquum enim Prætori visum fuit, ut, qui alienæ familiæ propria bona appetere & affectarent, sua quoque conferrent. *l. 1. pr. h. r.* Suadente hoc & æquitate naturali, quæ non patitur, ut quis cum alterius detrimento & injuria locupletior fiat. *l. 206. de R. J. l. 14. de Condit. indeb.*

IX.

Causa Efficiens propinqua conferendi, est necessitas & obligatio ex Lege, quæ quoties jubet, ad conferendum nos adstringit. Et licet bonorum collatio ad compensandum incommodum, quo ab emancipatis sui afficiebantur, atque ad eò ob æqualitatem conservandam introducta videatur, odiosa tamen nihilominus reputatur. Unde Dd. tum demum collationem locum habere arbitrantur, quando id lege aliqua fuerit expressum. *Boc. Cl. 3. D. 13. §. 1.* Cum regulariter nemo invitus bona sua cum aliis communicare necesse habeat, nisi lege id præcipiatur. *arg. l. 11. de R. J. conf. Brun. de Collat. bon. c. 3. n. 139.* Hanc Dd. opinionem corroborant etiam verba *l. 19. ibi: eo quod nulla constitutio super hujusmodi collatione posita esset C. h. r.* Ex qua Constitutione Dd. colligunt, quod in casibus ibi expressis collatio velut lege non imperata etiamnum cessaret, nisi Imp. Justinianus suâ Constitutione collationi casibus istis imposterum locum fore providisset. *Brun. d. c. 3. n. 223.*

X. CXX-

X.

447
22


Causa procreans & origo Collationis est Edictum Prætoris, uti ex l. 1. & t. t. ff. de Collat. patet. vid. Rittershus. ad Nov. part. 7. c. 22. n. 5. A qua tamen opinione recedunt, qui originem Collationis Edicto perpetuo adscribunt; moventur autem verbis l. 9. ibi: ad collationem forma Edicti perpetui & l. 11. ibi: perpetuo Edicto cavetur C. h. t. Verum cum Edictum perpetuum D. Adriani demum temporibus à Jcto Salvio Juliano compositum, & approbante Senatu receptum reperitur. Constit. Dedit nobis Deus §. 18. C. de V. J. E. conf. Wes. in π. de Off. Prætor. origo Collationis ad id tempus haud commodè referri poterit. Nec videntur refragari modo allata verba ex l. 9. & l. 11. C. h. t. Ibi enim Imp. ad Edictum tunc novissimè editum, quod erat Salvii Juliani, & ex quo tunc temporis Jus dici solebat, respexerunt.

XI.

Conservantes Collationis causa putantur, tam responsa & interpretationes Jctorum, quam etiam constitutiones Imp. quibus non solum conservatum verum etiam correctum extensum & ampliatum postea fuit jus collationis, sicuti exempla declarant, quæ extant in l. 10. h. tit. l. 1. & tot. tit. de collat. dot. l. 17. C. h. tit. l. 19. l. 20. l. ult. C. eod. l. 6. C. de bon. qualibet. Nov. 18. c. 6. Quibus addi posse existimo Jura Saxonica Landr. 1. art. 13. Constitutionem Augusti Elect. Saxon. 20. part. 3. & denique propria cujusque civitatis Statuta.

XII.

Hæc de prima externarum causarum videlicet Efficiente: pergo ad alteram nempe Finale, quæ secundum Jus Vetus consistebat in compensatione incommodi & quasi injuriæ, qua emancipati à Prætoribus ad successionem paternorum bonorum admissi suos & in potestate retentos afficiebant. Hodiè autem finis Collationis censetur æqualitas, quæ, tanquam pacis & concordie mater, uti aliàs quidem ita maximè inter liberos cæterosque sanguinis necessitate junctos sedulo observari & custodiri debet. l. 77. de leg. 2. l. 12. de condit. & demon. Nov. 22. c. ult. §. studeant parentes. l. 11. C. Famil. erisc. l. 17. C. de Collat. l. 4. C. comm. div. Neq; modo dictis contrariatur, quod collationis Jura inæqualitatem quandoque pariant, cum, quæ ex accidente casu contingunt & eveniunt, minus rectè ei, quod regulariter æqualitatem spectat & introducit, opponatur. Quo autem facilius æquali



æqualitas obtinere posset, conferendi necessitatem Prætor imposuit: quæ tamen cessat, quoties sui interventu emancipati nullum incommodum sentiunt, vel quoties eorum conditio melior, aut saltem non deterior redditur *juxta l. 1. §. 5. h. t.* Cum cessante legis ratione, ipsam quoque constitutionem cessare æquum sit *arg. l. 32. de pactis.*

XIII.

Hactenus paucis attigi, causas externas: Venio jam ad internas, quarum alia perhibetur Materialis alia Formalis. *Materia* vel est subjectiva vel objectiva. In illa attendendum & ad *subjectum* quod scilicet conferte debeat nec ne, & ad *subjectum Cui* videlicet sit conferendum. De quibus tamen conjunctim potius, cum separatim haud commodè possit, siquidem ita cohereant inter se ut divelli vix possint, agere constitui.

XIV.

Quod attinet eos, qui nempe *collationi obnoxii sunt*, commune quasi subjectum Jure tam Veteri quam novo constituunt Cohæredes, seu successores Universales, inter quos tantum collatio locum habet *l. 7. ibi: iisdemque coheredibus l. 16. ib. cum fratribus coheredibus l. 4. ib. succedat C. de Collat.* Non item inter eos, qui titulo particulari aliquid acceperunt, collatio locum habet, neque inter se invicem neque cum heredibus *l. ult. de Coll. dot. l. 25. C. famil. ercisc. l. 10. & 16. C. h. t. Bacch. ad Treut. 2. D. 17. §. 1. lit. D.* Cum autè hereditas aut ex testamento aut ab intestato ad nos pertineat §. *ult. Inst. per quas pers. cuique acq.* circa ipsos quoque hæc redes differentia quædã est juris Veteris & Novi. Illo n. Jure ex Edicto nimirum, tantum locus erat collationi in successione ab intestato, petita bonorum possessione contra tabb. vel Unde liberi *l. 1. h. t. l. 4. C. eod.* Hodiè v. *juxta Nov. 18. c. 6.* tam ex testamento quam ab intestato collatio obtinet, nisi vel expressim collationem testator remiserit, vel etiam extraneus heres institutus sit, qui suis conferre non tenetur: tum quod nulla Lege id cautum reperiat *fac. l. 19. ib. quod nulla constitutio C. h. t.* tum quod in extraneis ratio collationis cesset tam Jure veteri, quod nullam liberis faciant injuriam extranei, nec quicquam parentibus eorum acquirere potuerint, quam novo, quod inter liberos invicem non item inter liberos & extraneos æqualitas requiratur. *conf. Rittershus. part. 7. cap. 22. n. 7. & part. 9. c. 6. n. 6* Quod si vero plures filii cum uno extraneo fuerint institu-

443
22


stituti, nihil obstat, quo minus hi inter se conferant Treutl. 2. D. 17. th. 4. lit. D. ubi hanc addit rationem Bachovius, quod per coheredis adjectionem non tollatur ratio juris novi, quæ in æqualitate tantum inter liberos observanda consistit, neque per eam collatio remissa præsumatur. Jure tamen Saxonico quandoque extranea persona confert, siquidem mater marito ex statuto Saxonico succedens cum propriis liberis dotem & reliqua bona illis conferre necesse habet. Wesemb. in *π. h. t. n. 4.* & *in tit. Vnde vir & uxor. n. 3.* Carpzov. *part. 3. const. XI. def. 26.*

XV.

Circa descendentes itidem Jus vetus cum novo videtur convenire, quod scilicet illi, quoties de successione parentis agitur, cuius participes fieri cupiunt, soli inter se conferant Coler. 1. *decis. 62. n. 1.* & quidem tum quando eos gradu nemo præcedit iisdemq; legitima debetur. *l. 8. ibi: maximè cum de bonis paternis inter fratres disceptetur. h. t. l. 17. vers. ut in dividendis C. h. t.* Treutl. 2. D. 17. th. 2. adhibitâ tamen antè allatâ distinctione, si jure universitatis non singulari succedant *d. l. 10. C. h. t.* Qui enim per apprehensionem bonorum possessionis ad successionem veniunt, demum jubentur conferre *l. 1. in princ. h. t.* quæ successio non singularis cuiusdam, sed universalis successionis altera species est. *l. 3. in princ. de bon. possess. Vultei. 1. I. R. 75.* Quod verò paulò ante de bonis defuncti parentis dicebatur, ad successiones quoque matris & aviæ maternæ, *per l. 17. & l. 19. C. h. t.* extensum legitimus, ut in illis itidem collatio procedat: cum tamen jure veteri collatio hîc nullum inveniret locum, cessante nimirum ratione inductivâ collationis nempe injuriâ: liberi enim matri nihil acquirunt, nec ex *Lege 12. Tabb.* sed ex *Scto & Constitutionibus*, secundum quas omnium liberorum par ratio est, succedunt. Bachov. *d. disp. 17. th. 2. lit. A.* Neque in descendentes quoad collationem differentiam quandam constituit, sive illi ex primo ordine unde liberi, sive ex secundo unde legitimi, tempore nimirum vel repudiatione primo ordine exclusi, ad defuncti hereditatē veniant *l. 1. §. 11. de success. Ed.* Nec resistere videtur, quod in secundo ordine collatio cesset, siquidem liberi, quamvis ex secundo ordine petant, nihilominus tamen tanquam liberi & jure liberorum succedant *l. 6. §. 2. de Carb. Ed.*

B

Hinc



XVI.

Hinc colligere licet *neque ascendentes neque collaterales* hac conferendi necessitate gravari sive jus vetus sive novum intueamur. *Illo enim jure* eos non contulisse facile apparebit, si causam, propter quam primitus hoc jus à Pratore fuerit introductum, inspexerimus, ob singulare videlicet commodum suorum heredum, atque ita in favorem & gratiam tantum descendentium *l. 1. & t. tit. de collat.* Accedit quod illo jure, quando parentes soli succedebant pater matri præferebatur, quo casu nullâ opus erat collatione *l. 2. §. 15. ad SC. Terryll. §. 3. Instit. eod. Perez. in C. num. 3. h. tit.* Sed nec jure novo in ascendentes, imprimis inter se invicem, collationem locum habere afferendum videtur, tum quod collatio, quæ ab initio tantum inter descendentes constitit, non extensa sit ad ascendentes; quod cum non sit factum, haud facile nobis licebit, id ad casus in jure non expressos extendere, sed opus erit legislatoris extensione *ar. l. 19. pr. C. h. t. l. 64. §. 9. sol. matr.* tum quod in *Novell. 18. c. 6.* non nisi æqualitatis inter liberos servandæ mentio fiat; in descendentes autem disposita non temerè ad ascendentes producenda sunt, uti Dd. statuunt.

XVII.

Quæ de ascendentes modò afferbantur rationes, pleræque etiam pro *collateralibus* faciunt, nam & in his ratio collationis inductiva cessat, nec postmodum speciatim aliquâ lege ipsis conferendi necessitas imposita legitur. Quibus, cum & eadem ferè rationes illis obtineant, *extraneos* annuero, quos itidem nec primæva collationis origo & causa tangit, quapropter nec hos collationi obnoxios affirmare ausim. Hi enim sive soli sive cum liberis succedant, non nisi instituti veniunt, quo casu jure veteri collatio non habebat locum, quod nec jure novo, quoad has personas, mutatum videtur. *Brun. cap. 3. num. 215. & seqq.*

XVIII.

Ergò ad descendentes redeo, qui omnes liberorum appellatione præcipue tamen usque ad trinepotem, comprehenduntur. *l. 10. §. 7. de grad. & affin. Gædd. in comm. ad l. 48. & l. 220. pr. de V. S.* de quibus, cum supra in genere dictum, quod iis solis collationis onus incumbat, sigillatim quædam adjicienda erunt. Considero autem
descen-

444
22

descendentes hinc quatenus vel sui juris effecti, vel etiamnum in potestate patris constituti & retenti sunt. Sui juris sunt emancipati, qui interdum manumissi §. 6. *l. quib. mod. jus patr. pot. l. 5. C. de Emanc. lib.* eò quod è manu, id est, potestate patris dimitti solebant, appellantur. Hi Prætori introducendæ collationis ansam dederunt, & liberis in potestate retentis, sive spectemus Jus Vetus sive Novum conferre obstricti sunt ea, quæ ante mortem patris sibi acquisiverunt *l. 3. §. 3. h. t. l. 6. C. eod.* exceptis tamen bonis castrensibus vel quasi castrensibus *l. 1. §. 15. h. t.* iisque, quæ nec dolo nec culpâ haberi desierunt. *l. 2. §. 2. h. t.* Neque verò liberis tantummodò vivo patre natis, verum etiam posthumis conferre tenebantur; quo tamen casu collatio usque ad tempus nativitatis differebatur, cum ante nativitatem, eum in morientis potestate fuisse, haud commodè dici possit, & licet mater ventris nomine in possessionem esset missa, nihilominus collatio cessabat. *l. ult. ff. h. t.*

XIX.

Collationem autem emancipati non aliter subire coguntur, quam si suos incommodo affecerint iisque ex causa successionis quicquam abstulerint. *l. 1. §. 3. & 5. h. t. l. 1. §. 3. C. A. th. 3. n. 1. h. t.* Quæ conferendi necessitas olim removebatur, quoties ex testamento successio fiebat *l. 1. §. 6. h. t.* tunc enim extante patris iudicio, nec Prætor nec emancipatus injuriam suo inferebat, nec eius conditionem deteriore reddere, sed ipsemet parens. Sichard. *ad rubr. C. h. t. num. 19.* cui LL. 12. Tab. liberam testandi facultatem concedebant. Et hæc cõmuniter ita obtinent minusve difficultatis habere videntur (quod nimirum emancipati suis tam Jure veteri quàm novo conferre teneantur.) An autem collationi itidem locus sit *inter emancipatos invicem*, non immeritò dubitare licet, præsertim cum magnus circa hanc quæstionem extet Dd. dissensus? Equidem si jus vetus spectaverimus, quo pari & æquo jure à Prætoribus ad bonorum possessionem admittebantur, nec alter alteri quicquam vel auferebat, vel incommodo afficiebat alterum, res non adeò difficilis, sed plana & decisa erit, quod nimirum hi invicem collationem subire non teneantur, *l. 2. §. 5. ubi Cuiacius l. 1. §. ult. h. t.* An verò idem quoque *Jure novo* statuendum sit, magis est quod dubites, quippe cum tam affirmantes quàm negantes suis non videantur destituti textibus: ex quibus illi

in primis constitutione Imp. Leonis in l. 17. C. h. t. nituntur, quam tamen contrariam sententiam foventes aliter interpretantur, quod videlicet nequaquam d. l. 17. injungat collationem ab emancipatis instituendam arg. verborum final. d. l. 17. pro tenore præcedentium legum, ubi Imperatorem ad veteres & modò allegatas leges hanc collationem præcipientes, maximè verò ad l. 9. C. h. t. respexisse existimant. Verùm cum causa collationis præcipuè hodiè ab æqualitate petenda sit, & emancipati liberi, juxta Nov. 118. c. 1. pariter ut sui Jure Civili admittantur, Carpzov. part. 3. Const. 8. def. 16. num. 3. non adeò absolum erit, si, habito ad æqualitatem respectu, etiam inter hos collationem locum habere statuamus, arg. Novell. 18. §. 6. Et quidem non solum dotis & donationis propter nuptias; sed etiam aliarum rerum, quæ à patre ad emancipatos pervenerunt, ob generalitatem const. d. l. 17. Bach. 2. D. 17. th. 3. lit. E. C. A. th. 5. n. 20. h. t.

X X.

Liberos in potestate retentos S u o s appellamus, circa quos quoad Jus vetus quædam occurrit differentia: masculi enim sui, cum nihil quicquam habebant, sed patri omnia acquirebant, à collationis onere immunes erant, quod itidem de filiabus, siquidem ad originem huius juris & Edictum nos convertamus, affirmari potest. Verùm postmodum id per D. Pij rescriptum in his mutatum legimus, ut præter emancipatos & filiarum familias dotes, quas à communi patre acceperunt, conferre cogantur. t. t. de collat. dot. Jure autem novo sui quoque heredes nullâ habitâ sexus differentia inter se invicem collationis onere gravantur. l. 17. C. h. tit. Quamvis de suis vix dici possit, quod propriè conferant, cum secundum Jus novum adventitorum bonorum nulla fiat collatio, l. ultim. C. h. tit. Profectitia verò in hæreditate quasi contineantur, l. 12. C. h. tit. Coll. J. A. thes. 4. num. ult. h. t.

X X I.

Nepotes & neptes cum suis quoque heredibus accenseri possint, si nimirum eorum pater vel ab avo fuerit emancipatus, illi verò ab avo in potestate retenti fuerint, vel etiam vivo adhuc avo pater decesserit, §. 2. Inst. de hered. qual. & diff. §. 2. Inst. de hered. qua ab intest. def. & hi collationis oneri obnoxij reperiuntur, sive inter sese cum aliis nepotibus succedant l. 17. C. h. t. sive etiam mixtim cum patris, amitis,

4459 . 22
amitis, avunculis & materteris concurrant, quæ tamen personæ il-
lis vicissim conferre *ex nova Constitut. l. 19. C. h. t. obstrictæ* sunt. Quod
siverò plures nepotes neptesve ex uno patre supersint, omnes hi, ut
unus, & conferunt, & una ipsis portio itidem confertur atque ita
unius patris loco sunt. *v. l. 2. §. 7. l. 7. h. t.*

XXII.

Et tantum pro instituto nostro de subjecto afferre libuit, per-
pendendum nunc quoque erit etiam *Objectum* seu res, quæ conferen-
dæ veniant, vel collationem subterfugiant. Verum cum bona liber-
rorum non ejusdem & naturæ & conditionis sint, sed variæ eorum
species in jure obviæ, diversique eorum effectus occurrant, de singu-
lis quædam afferre necesse erit. Commodè autem bona liberorum
in militaria & pagana dispesci poterunt: militaria iterum vel verè ta-
lia sunt ut potè quæ ex occasione & causa armatæ militiæ, ut *Dd. lo-*
qui amant, filiosfam. obveniunt; vel quasi talia putantur: quæ scil.
ex togata militia filiosfam. acquiruntur, & specialiori nomine quasi
castrensia audiunt.

XXIII.

Verè militaria seu Castrensia bona filiosfam. sibi acquirit par-
tim in ipsis castris, partim antequam in militiam proficiscitur. Prio-
ri modo bona ad filium perveniunt vel per ipsius laborem & indu-
striam, veluti per stipendium aut spolia, quæ debellato & profligato
hosti detrahit; vel citra aliqualem ipsius laborem, veluti quando he-
reditas ipsi commilitonis defertur, qui ipsum herede in testamento
fecit, & multis aliis modis. Posteriori modo castrensibus bonis an-
numerantur, tam quæ à parentibus quàm etiam cognatis & amicis
in militiam eunti (mobilia scil.) donata sunt *l. 4. C. famil. erisc. l. 11. de*
pecul. castr. l. 1. C. eod. Sive jam equi sive arma veluti scuta, gladii, tho-
races &c. quæ armorum appellatione comprehenduntur *conf. l. 14.*
§. 1. de re milit. sive similes res mobiles militiam cogitantibus datæ &
concessæ fuerint l. 3. l. 4. de pecul. castr. quas res nec Jure Saxon. confer-
ri Wes. in π. de collat. dot. n. 3. notat. Atque hæc bona castrensia nec o-
lim communicata fuisse, *ex l. 1. §. 15. h. t. constat,* nec hodiè collationi
obnoxia esse *l. ult. C. h. t. restatur.* Neq; hic attendimus distinctione li-
berorū suorum & emancipatorū; sive enim consideramus suos sive eman-

emancipatos, utrosque, quod hæc bona attinet, nihil conferre deprehendimus: non illos, siquidem hujusmodi bona non parentibus sed sibi quærebant, §.1. *J. per quas pers.* non hos, cum, licet in patria potestate adhuc constituti fuissent, propria ea habuissent, nec patri acquisivissent, l.52. §.8. *pro socio.* Neque levis ratio videtur subesse, quare Legislatores militantibus ab hoc onere conferendi immunitatem concesserint: hi enim dum pro totius reip. salute atque adeo pro singulorum etiam emolumento & commodo quamplurimis vitæ periculis sese exponebant mortemque ipsam sæpius contemnebant, digni sane videbantur exigente hoc & æquitatis ratione, ut iis etiam hac in parte propter sudores & labores, quos sustinebant, bellicos prospiceretur, & quod in multis juris articulis obtinet, hic etiam singulare quid contra Juris communis regulas militantibus concederetur. *arg. l.2. C. de offic. Mag. mil.*

XXIV.

Ad imitationem bonorum verè militarium, quasi castrensia superveniunt l. ult. §.1. *C. de inoffic. testam.* quæ extra castra ex togata & forensi militia proficiscuntur: qualia sunt, quæ respectu vel dignitatis, officii aut administrationis ex publico salario quis percipit d. l. ult. *C. de inoffic. testam. l.4* & l.8. *C. de Advoc. divers. Jud.* vel absq; eo occasione officii & togatæ militiæ acquirit *arg. d. l.4. ibi: vel ipsius occasione sibi quarit C. de adv. div. jud. & l.7. C. de Assess. domest.* Unde colligo, eos quoque, quibus publica salaria non sunt constituta, uti sunt Advocati, Notarii & alii, bona castrensia habere posse, in primis cum etiam advocati militare, & æque hominum utilitati & commodo, quam verè militantes, servire & prospicere dicantur. l.14. *C. de Advoc. div. Jud.* Cum itaque & hæc bona castrensium naturam quodammodo sapiant, minimè & hæc in collationem venire, recte dicimus. l.1. §.15. *h. t. l. ult. C. eod.*

XXV.

Inter bona quasi castrensia *Donationes, quas ex singulari gratiâ quis vel ab ipso Principe vel ab Augusta consequitur,* sive jam in rebus mobilibus sive immobilibus consistant, non immerito referuntur. Cum enim in illis ad similitudinem castrensium peculii Imp. Justin. in l.7. *C. de bon. qua lib.* filio omnem facultatem concedat, easdem quoque, velut bona castrensia, à collationis onere exemptas esse, rectè statu-

statuitur. Quamvis autem *d.l.7. de donationibus à Principe profectis* loquatur, per nomen vero *Principis* in Jure *κατ' ἐξοχήν* solus Imperator denotari solet, nihilominus tamen *Dd.* hoc extendendum arbitrantur, non solum ad Regem quemvis, superiorem non recognoscentem, verum etiam ad Duces & Principes omnes, merum & mixtum Imperium habentes: præsertim cum & his *Principis* nomen ex usu attribuat. *Brunn.c.4.n.22.& seqq.*

XXVI.

Aliqualem itidem convenientiam & affinitatem cum quasi castrensibus bonis videntur habere *sumtus studiorum*, quos pater filii nomine erogavit, ut & *impensa* quas pater fecit, ut filius *Doctoratus*, *Licentiæ* aut *Magisterii* gradum & titulum consequeretur: quapropter à *Dd.* rectè iis annectuntur. *Brunn.d.c.4.n.57.* Cum autem de horum sumtuum collatione non idem sit *Dd.* iudicium, pauca speciatim de iis subjiciam.

XXVII.

Quod igitur attinet primam *de sumtibus in studia factis quaestio-* nem, an & quatenus nimirum in collationem veniant, de eadem adducam & regulam & exceptionem. *Regulam* *Dd.* hanc ponunt: Sumtus quos pater filio studiorum nomine suppeditavit, non conferuntur. *Brun.c.4.n.58.& ab eo citati Dd.conf. Stat. Hamb.part.3.t.4. artic.4.* Deberi hosce sumptus liberis à parentibus *Dd.* asserunt, & ad stabiliendam hanc assertionem vel ex ipso jure naturæ rationes depromunt & deducunt. Cum enim naturalis stimulus parentes ad liberorum suorum educationem hortetur & incitet *l.un. §.5. C.de rei uxor.act.* atque ipsa natura hoc suadeat *l.1. §.3.de J.& J.pr.I.de J.N.G.& Civ.* Educatio autem non tantum curam corporis, nimirum alimentorum, vestimentorum aut aliarum necessariarum rerum præstationem & præbitionem spectet, verum etiam animi cultum, qui potissimum in doctrinâ & informatione consistere videtur, requirat, evadit hinc parentes ex jure quasi naturæ & sanguinis omnino etiam ad hæc liberis obstrictos esse: & proinde sumtus, si quos erogarunt, ad exemplum alimentorum, (cum alias honoraria & mercedes Præceptorum cæteraq; ad Juventutis institutionem necessaria eodem, quo alimenta, jure utantur *l.4.ubi pup.educ.deb.l.ulr. C.de*

446 9

2.22



C. de alim. pup. praest.) minimè conferri debere. Neque naturalis solummodò instinctus ad hæc patrem impellit verum ipsa pietas paterna à patre hoc exigat *l. 5. C. ad SC. Maced.* ipsæque LL. Civiles non solum ut alimenta liberis præbeat, sed reliqua quoque onera liberorum sustineat, patrem jubent *l. 5. §. 12. de agnosc. & alend. lib.* Quæ de re prolixè disserit Limneus *l. 8. de J. P. c. 7. n. 2. & seqq.* Quæ autem juxta supr. traditam regulam de patre & ab eo sumptibus factis dicta fuerunt, eadem ad sumtus à matre præstitos Dd. extendunt, ob rationis nimitum identitatem, quod non minus mater ac ipse pater filios domi gratis alimentare teneatur. *arg. l. 8. §. 5. C. de bon. quæ lib. l. 11. C. de Neg. gest. Carpz. d. Const. XI. def. 17.* Quo cum benè concordant statut. manuscript. Hamburg. *artic. 19.* Neque tam obstare, quam pro hac sententia facere videtur *l. 14. C. de Jur. dot.* quam objicere solent, quod vel ex parenthesi *d. l. 14.* inserta colligere licet. Quamvis negari non possit, quin hæc quoque sententia quasdam admittat limitationes, sicuti eas Brunn. *c. 3. n. 235. & seqq.* recenset.

XXVIII.

Sed revertor ad regulam defunctam *ex l. 50 fam. ercisc.* In qua hæc vertitur quæstio, utrum ea, quæ pater filio emancipato studiorum causa peregre agenti subministravit, in rationem portionis ex bonis defuncti ad filium pertinentis computari debeant? movebat quodammodo dubitationem, quod in legitimam portionem, quæ ex bonis patris filio debetur, omnia imputanda sint, quæ filius à patre habuit, *arg. l. 29. & l. 30. §. 1. C. de inoffic. testam.* Quæ cum in filio obtinerent, multo magis in emancipato concedenda videbantur, & proinde sumtus, quos pater filio emancipato studiorum causa suppeditaverat, conferri omninò debebant: ne videlicet horum ac reliquorum filiorum melior esset conditio, *l. 1. & t. t. de Collat.* Accedebat quod filius per emancipationem extraneus intelligeretur *l. 55. §. 1. in f. de rit. nupt.* adeoque pietatis vinculum inter patrem & emancipatum filium quadamtenus solutum esse *arg. l. ult. si quis à parent. manum.* Verum his non attentis nec resistantibus Jctus in *d. l. 50.* sub distinctione hanc litem decidit: Aut enim pater filio sumtus subministravit animo credendi, aut non credendi animo hoc fecit. Priori casu si quos sumtus in studia filii emancipati erogavit pater, idque probari potest, illi in rationem portionis, quæ ad filium ex bonis defuncti perti-

447 9 . 22
pertinebat, computari debent: standum enim est voluntati patris, Posteriori verò casu secus obtinet. Nam sumtus, quos tali modo expendit pater, magis pietatis intuitu, quàm repetendi animo fecisse creditur. Et licet filius per emancipationem aliquatenus extraneus factus censeatur, non tamen id ad ea, quæ ex pietate & affectione paterna profiscuntur, extendendum videbatur, cùm emancipatio, ex Jure civili descendens, insitum hunc naturæ affectum tollere minimè valeat, §. ult. *Inst. de legit. agn. tut.* Cùm itaque *d. l. 50.* in emancipato hæc regulariter observari innuat, magis eadem *in filio etiamnum in sacris paternis constituto* obtinere Doctores statuunt, maior enim adhuc præsumitur affectio patris erga hunc quam erga emancipatum.

XXIX.

Exceptio supra allatæ regulæ itidem *in d. l. 50.* continetur, cui Dd. postmodum plures adjecerunt: *quoties enim credendi animo patre sumtus istos misisse constat, computationi in portionem filio debitam locum faciunt*: quæ quidem rectè se habent, quando sermo nobis est de emancipato. An autem exceptio hæc procedat, si de filio familias loquamur, videndum erit: Et *alij* quidem existimant exceptionem hanc ad filium familias non spectare, quod inter patrem & filium in potestate retentum haud constitui possit talis obligatio, *l. 50. ad SC. Trebell. l. 16. de furt. §. 4. in fin. §. 6. Inst. de inutil. stipul. l. 56. §. 1. de fidejuss.* Verùm ab hac opinione recedunt Hartm. Pistor. *lib. 1. quest. 19. num. 4.* Carpzov. *part. 3. Constit. XI. def. 20. num. 1. & 2.* & *alij* hodiernum usum respicientes, qui indistinctè affirmant, sumtus studiorum, si quidem *animo credendi* patrem eos fecisse satis constet, omninò esse conferendos. Credendi autem animum exinde colligi posse arbitrantur, quando specialiter eos consignavit. Cui tamen adversatur, quod diligentes patres familias sibi suisque rebus optimè, prospicientes, expensas, quas quotidie faciunt, rerum etiam minutissimarum in Ephemerides seu libros acceptorum & expensorum, (notris in die Journal, *Hauß*, item *Einnam vnd Ausgab. bücher*) referre soleant, eò potissimum fine, ut quotannis eò facilius acceptorum & expensorum accuratè rationem inire queant; non simpliciter affirmandum putarem, *solan hanc annotationem*, quæ vel memoriæ saltem causa sæpius fit, inducere animum credendi. *arg. l. instrumenta dome-*

C



domestica. 5. & l. 7. C. de probat. Aliud fortassis dicendum, quando sumtus hi in libro, quo tantum debitores patris continentur, notati & adscripti inveniuntur, ipsaque verba patris voluntatem, animum & mentem satis declarent & explicent, quo etiam tendunt, quæ in *fin. d. def. 20.* Carpzovius proponit. Quod si verò hoc casu sumtus studiorum, ex voluntate nempe defuncti, conferendi veniant, nihilominus tamen id, quod alias domi in alimenta filij pater impensurus fuisset, cum ea jure naturæ debeantur Legesque civiles horum præstationem à patre exigant *l. 5. §. 12. de agnosc. & al. lib. detrahendum existimo arg. l. 25. §. 16. in fin. de hered. petit.* Plures, supra enarratæ regulæ, exceptiones recensent Schneidvv. *ad §. 20. I. de act. num. 42. & seqq. in act. famil. erisc.* Hartman. Pistor. *lib. 1. quest. 19.* Carpzov. *d. Const. XI. def. 19.* quarum nonnullas admittit, quasdam verò rejicit Brunn. *c. 4. n. 76. & seqq.*

X X X.

Cum sumtibus studiorum affinitatem aliquam etiam habent *expensæ pro consequendo Doctoratus vel Licentiatu honore & gradu erogate*, de quibus itidem agitur quæstio, an & hi sumtus filio in legitimam imputari debeant? Ubi negantium opinionem velut communioem & verioem apprehendere & sequi placet, tum propter textum *l. 1. §. 16. h. t.* qui pro hac sententia facere videtur, tum quod pater, utpote qui per aliquot jam annos filio sumtus subministravit, etiam hos in dubio præsumatur animo donandi fecisse, & proinde in his quoque collationem cessare Carpzov. *part. 3. constit. XI. def. 17. in fin.* Accedit, quod filius, dum ipsi ob acquisitam scientiam & eruditionem tales honores conferuntur, quodammodo patris voto satisfecisse videatur. Neque verò *d. l. 1. §. 16. h. t.* quæ conferri debere ea negat, quæ dignitatis nomine à patre data sunt, rectè objici puto *l. 20. C. h. t.* in qua dicitur, quod, quæ pater occasione militiæ filio subministravit, in legitimam imputari debeant. Nam quod verbum MILITIÆ, cuius in *d. l. 20.* mentio fit, attinet, denotat id ibi officium aliquod & dignitatem certos & ordinarios redditus habentem: unde lucrum, quod exinde percipitur, nec castrensis nec quasi castrensis peculij loco habendum censet Bachov. *2. D. 17. th. 5. lit. H. in fin.* De alia autem dignitate loqui videtur *l. 1. §. 16. h. t.* quod vel ex ipsa ratione, quam Ictus ibi adjungit, apparet. Præterea cum variæ quoque mili-

448 9 . 22
militiarum reperiantur species, quarum alia ita comparatae sint, adeoque personis cohaereant, ut ab iis divelli & in alios transferri, atque ita nec emi, vendi nec ad heredes transmitti queant, *l. ult. C. de pignor.* alia vero personis non ita cohaereant, sed emi, vendi, in alios transferri & ad heredes transire possint *l. 52. §. 2. de act. emt. d. l. ult. C. de pign. l. 30. §. 2. C. de inoffic. testam.* de his Dd. *d. l. 20. C. h. t.* non absurde accipiunt & interpretantur.

XXXI.

Hinc in Gallia multisve aliis locis, cum hic emendi & vendendi militias seu officia lucrosa mos saepius frequentetur, si cui ex filiis pater tale officium comparavit, eius pretium & aestimationem legitimae imputari rationis videtur. Hillig. 19. D. E. 4. lit. xx. Idem videtur dicendum, quando pater filio beneficium Ecclesiasticum seu praebendam comparat, quod & in terris Protestantium saepe accidit, ut nimirum pretium (seu honorarium uti malunt appellare) quod pater exsolvit, postmodum collationi subjiciatur.

XXXII.

Superfunt libri à patre filij nomine emti, quos, ut sumtus studiorum, bonis quasi castrensis Dd. annumerant, eosque à collationis quoque onere immunes judicant. Coler. 1. decis. 62. num. 23. Hillig. 19. D. E. 4. lit. xx. Brunn. c. 4. n. 107. Cum enim in militiam proficiscens filius ea, quae patre concedente in castra secum aufert, praecipua habeat *l. 4. in princ. de castr. pecul.* qualia solent esse equi, arma & eius generis alia. Nihil putarem obstare, quin idem de libris, quos pater filio studiorum causa peregrè abeunti & ad Musarum castra tendenti comparavit, idem asserere liceret. Siquidem & hi arma sint studiorum, Gloss. in *l. 125. in verb. dignitate. ff. de V. S.* Schneidevv. ad *d. §. 20. num. 48.* Et illis aequè necessarij, ut militibus arma, censeantur, Gædd. in comment. ad *l. 41. de V. S.* Neque differentiam aliquam in eo constituunt Hillig. loco supra citato, & Brunn. *d. l. num. 109.* quod forsitan filio peregrè degenti libri non fuerint transmissi & traditi: quanquam tunc maximè id obtinere putat Hillig. *d. l.* si patris usus domi non inserviant, veluti si is mercator aut alias literarum imperitus fuerit. Sin verò sumtus in libros à parentibus erogati immodici fuerint, ut nimia inde inter fratres oriretur inaequalitas, arbitrio religiosi

ligiosi & æqui iudicis hæc committenda existimant Dd., qui quoad sumtus paternarum facultatum rationes excedentes collationem moderabitur.

XXXIII.

Denique quærere licet, an etiam, quemadmodum sumtus, quos pater studiorum causa fecit, à collationis onere immunes sunt, idè dici queat de iis, quos erogavit pater filij nomine pro addiscenda qualibet scientia, seu arte honesta? Et licet maior videatur esse favor liberalium artium & studiorum, nihilominus tamen & in his collationem cessare affirmandum videtur; imprimis cum hîc quoque eadem pietatis & affectionis paternæ militet & obtineat ratio, quod etiam Statut. Reip. Hamb. loc. supr. alleg. volunt.

XXXIV.

Et hucusque de bonis castrensibus veris vel quasi, iisve quæ ob aliqualem cognationem eò pertinere videbantur, breviter actum: necesse nunc erit, pauca quoque de bonis paganis subjungere, quorum alia adventitia, alia profectitia appellari solent. De utrisque quædam afferam in genere, subinde nonnulla de dote tam adventitia quam profectitia, ut & iis, quæ doti quadamtenus affinia sunt, appositurus.

XXXV.

Quod attinet bona adventitia, qualia sunt, quæ non ex re & substantia patris, sed extrinsecus ad filios familias perveniunt §. i. Inst. per quas person. l. 6. & 8. C. de bon. quælib. circa ea differentia quædam occurrit Juris tum veteris tum novi; tam quoad eorum acquisitionem, quam quoad hanc collationis materiam. Olim enim quicquid filiis familias, exceptis tamen castrensibus peculiis, obveniebat, totum parentibus sine ulla distinctione acquirebatur: hodie autem manente proprietate penes filios, ususfructus saltem patri in adventitiis acquiritur, uti ex modò allatis textibus patet. Quoad collationem verò hæc subest differentia, quod Jure veteri etiam adventitia ab emancipatis conferebantur. Vid. Treutler. 2. D. 17. th. 5. lit. A. ex modò datâ ratione quod nimirum si in potestate mansissent, patri hæc bona acquisivissent, l. 2. §. 7. h. t. l. 52. §. 8. pro soc. l. ult. C. h. t. Jure autem novo cum ususfructus tantum ad patrem spectet, aliter observatur, & regulari-

449 9
22
gulariter bona adventitia collationem non admittunt, *d.l. ult.* Hinc cum eorum bonorum ususfructus tantummodo ad patrem ex nova Justiniani Constitutione pertineret, qui Jure Civili usque ad dies vitæ durat, *l. 1. C. de bon. matern. l. 6. C. de bon. quæ lib.* Jure verò Saxonico quoad filius & pater simul cohabitaverint *Coler. decis. 41. num. 3. & seqq.* eatenus etiam in illis bonis collatio tantum concedenda videbatur, ita ut si quos filius vel percepisset fructus, vel eorum adhuc nonnulli extarent, eos conferre teneretur. Ipse autem ususfructus, utpote qui statim extinguitur & à morte patris usufructuarij cum proprietate consolidatur, §. 3. *Institut. de usufruct.* quo facto filius ea bona pleno jure habere incipit, minimè confertur *Boc. Cl. 3. disput. 13. thes. 23.*

XXXVI.

Alterum bonorum paganorum membrum constituunt bona profectitia, quæ §. 1. *Inst. per quas person.* describuntur, quod ex re seu occasione patris proficiscantur, filiisque obveniant. In quibus patriam proprietatem, quàm ususfructus & olim acquirebatur, & hodiènum conceditur *d. §. 2.* Et hæc bona profectitia regulariter Jure novo collationis onere subjiciuntur. *Treutl. 2. D. 17. th. 5.* ea nimirum quæ tempore mortis conferens in bonis habuit *l. 6. C. h. tit.* nam quæ sine dolo & culpa filius habere desit *l. 2. §. 2. h. t.* ut & quæ post mortem patris quæ sita sunt, in collationem neutiquam videntur venire, *l. 13. l. 15. C. h. t.* Neque hic differentiam parit distinctio bonorum profectitiorum in corporalia & incorporalia, cum quoad hanc collationis materiam idem de his, quod de illis, rectè dici queat: videmus enim passim etiam incorporalia collationi submitti: veluti nominatam purè quàm sub conditione debita *l. 2. §. 3. h. t.* itemque actiones, quæ tamen non meram vindictam continent, sed ad heredes transitoria & pecuniaria sunt. Hinc actio injuriarum, cum magis vindictam & pœnam, quàm pecuniam persequatur, collationi exempta legitur, *in l. 2. §. 4. h. t.*

XXXVII.

Verum cum modò dictum sit, profectitia bona esse, quæ ex re & substantiâ patris proficiscantur, adeoque conferenda sint, dubitare licet in casu, quo pater certam pecuniæ summam filio subministravit

stravit, ut & ipse negotiari inciperet, (quod in magnis emporiis sæpe contingit,) is verò ex ipsâ pecuniâ suo labore & industriâ lucrum sibi quærat, an istud lucrum bonis profectitiis accensendum & consequenter à filio conferendum; an verò instar peculii adventitii istud lucrum à collationis necessitate liberum censendum sit? Et quamvis Dd. diversimodè hanc quæstionem decident, dum alii lucrum tale velut profectitium peculium omninò conferendum judicant: alii amplectentes mediam viam partim profectitorû partim adventitorum bonorum naturam sapere existimant, ut pro dimidiâ saltem parte conferatur: alii Judicis arbitrio hæc relinquenda contendunt: illis tamen subscribere malui, qui hujusmodi lucrum adventitorum bonorum jure gaudere atque ad eò collationis oneri eximi arbitrantur, *arg. l. 6. C. de bon. qua. lib. & §. 1. J. per quas person. Statut. Hamb. part. 3. tit. 4. art. 3. & 6. quibuscum consentit. Boc. Cl. 3. D. 13. §. 24.*

XXXVIII.

Anceps itidem quæstio est, utrum nimirum *mera & simplex filio filiae à patre solius liberalitatis exercenda gratia facta donatio* collationi subjicienda sit? Ad quam æque ac ad præcedentem variè Dd. respondere video. In quo tamen Dd. conflictu Wesenbecium & ab eodem *in π. de Collat. Dot. n. 2.* allegatos Dd. sequor, eorumque opinionem, quando nimirum statuunt regulariter in hujusmodi donatione collationi non esse locum, veriolem puto. Suadet hanc sententiam *l. pen. §. 1. in f. C. h. t.* quæ cum duos tantummodò casus excipiat (quibus videlicet etiam donationis simplicis instituitur collatio, ut puta si vel pater expressè hoc jusserit, vel alter ex fratribus aut filiabus dotem & donationem propter nuptias acceperit, quam confert) regulam in contrarium firmat & supponit. Confirmat quoq; hanc sententiam *l. 18. C. fam. ercisc.* ubi res filiae à patre comparatæ siquidem in eadem voluntate is perseveraverit, per arbitrium famil. ercisc. præcipuæ adjudicantur: cui tamen non adeo obloqui videtur *l. 13. C. h. t.* ut ob eam à negantium sententiâ recedendum & contrariæ inherendum putarem. *conf. C. A. th. S. n. 19. h. t.*

XXXIX.

Et hæc quoque de bonis paganis in genere attulisse sufficiant. Cum verò in dotis collatione quædam occurrant *singularia*, de dote eique

450 9
22
eique affinibus rebus separatim pauca delibabo: sicuti autem superius pagana bona in adventitia & profectitia distribui, eandem distinctionem doti quoque convenire ex Jcto Ulpian. in fragm. tit. 7. de dotibus. §. 1. itemque l. 5. de jure dot & alijs textibus. C. A. ibid. th. 10. n. 9 citatis apparet, ibi enim dotem aliam dicit esse profectitiam, quam nimirum pater mulieris dedit: aliam adventitiam quæ à quovis alio data est adde l. 4. C. de collat. & text. sim. Quoad utrumque notari possunt quædam differentiæ, sive respiciamus personas dotem conferentes, sive etiam Jus vetus cum novo comparemus. Personæ quæ dotem tenentur conferre, aliæ sunt suæ aliæ emancipatæ: & illæ quidem Jure Digestorum primævo à collationis onere planè immunes erant, eo enim Jure soli emancipati liberi collatione fungebantur. Verum quia sui masculi hoc modo, quod nimirum illæ dotes præcipuas retinerent tanquam patrimonium proprium l. 3. §. 5. de minor. l. 35. famil. ercisc. & nihilominus cum in potestate retentis æqualiter patri succederent, in commodo & injuriâ quadam afficiebantur; postmodum D. Pius hac iniquitate motus jus conferendi, quod emancipatorum tantum gratia primitus à Prætoe erat introductum ad filiasfam. quoque extendit. l. 1. & t. t. de collat. dot. Hinc Jure veteri filiasfam. tam reliquis suis quam etiam emancipatis dotem tam adventitiam quam profectitiam conferebant. Emancipatæ autem suis utramque dotem, emancipatis verò profectitiam tantum, conferre necesse habebant, uti ex l. 1. & t. t. de Collat. dot. l. 4. C. h. t. & alijs textibus colligere licet conf. Bacch. 2. D. 17. §. 5. C. Jure autè novo cum juxta l. ult. C. h. t. adventitia non conferantur, collatio in dote tantum profectitiâ procedit. Bacch. d. l.

XL.

Quæ de dote dicta sunt, eadem ferè obtinent in donatione propter nuptias, quæ doti comparatur l. ult. pr. C. de donat. ant. nupt. Nov. 97. & veluti dos mariti seu dos contraria est. Cujac. ad rubr. C. h. t. Græci ἀντιφύεσσι vocant Wes. in π. de jur. dot. n. 11. Sicut enim pro sua parte mulier dotem dat marito, sic vicissim ex sua parte dotem dat uxori, ut proinde & hæc, si ex substantiâ patris profecta fuerit, conferri dicatur l. 17. & l. 19. C. h. t. Carpz. 3. Const. XI. def. 14.

XLI.

Et quemadmodum ipsa dos conferri debet, ita quoque res quæ
tanquam



tanquam accessoriæ cum dote data sunt in collatione veniunt, cum
velut accessorium principalis naturam sequantur c. 42. de R. J. in 6.
idemq; de additamentis ac de ipsâ dote judicandum l. 26. §. 2. de pact.
dot. l. 3. C. de jur. dot. Quapropter vestes pretiosæ, catenæ aureæ, ar-
millæ, monilia, annuli & reliqua ornamenta pretiosa tempore nu-
ptiarum à parentibus filiæ data collationi rectè subjiciuntur. arg. l. 25.
de pecul. v. Stat. Hamb. part. 3. tit. 4. art. 1. Coler. d. decis. 62. n. 34. Gail. 2.
Obs. 91. n. 5. Carpz. part. 3. Const. XI. def. 2. Aliud dicendum videtur de
rebus vilioribus & vestibus quotidianis, quæ quodammodo liberis.
à parentibus debentur, & alimentorum nomine comprehenduntur.
juxta l. 6. de alim. & cibar. leg.

XLII.

Pergo nunc, lustratis reliquis causis, *ad causam formalem seu*
modos, quibus peragitur collatio. Modus conferendi alius est Juris
Civilis, alius Juris Saxonici: Ille perpendi potest & generaliter &
specialiter. Generaliter omnis collatio fit boni viri arbitrato. Unde
ea, quæ perierunt sine dolo & culpa conferentis ad collationem non
pertinent. l. 2. §. 2. h. t. l. 5. §. 1. eod. Specialiter modi conferendi conside-
rari possunt & in thesi & in hypothesi adducto uno alterove exem-
plo. Collatio priori modo accepta, secundū l. 1. §. 11. h. t. aut fit re ipsa
aut cautione aut utroque modo simul. Collatio quæ re ipsa fit seu rea-
lis vel verè talis est vel quasi. Per verè realem eam intelligo, quæ
res ipsa actualiter in communem hereditatem infertur & redigitur,
ut ita rebus ipsis confusis & commixtis divisio bonorū instituat,
d. §. 11. l. 19. C. h. t. Quasi realis collatio dicitur, quando res conferri
saltem intelligitur d. l. 1. §. 12. h. t. & hæc à priori quoad effectum parum
videtur differre: fit autem variis modis, veluti minus acceptione &
remissione, quando nimirum tantum quis remittit, quantum con-
ferre debebat, tunc enim Edicto Prætoris de conferendo satisfacit
d. l. 1. §. 12. h. t. & qui ita remittit, quod capere poterat, id ipsum dare
videtur l. 10. de Condict. caus. data. Item delegatione d. l. 1. §. 12. h. t. Cef-
sione actionis l. 2. C. h. t. In solutum datione d. l. 1. §. 12. multisque aliis
modis peragitur.

XLIII.

Cautionalis collatio, (quæ tamen minus propriè collatio dici-
 tur,

tur, uti Bachov. 2. D. 17. th 6. lit. C. & D. monet) instituitur, quoties quis de bonis conferendis, cavet his, quibus conferre debuit, l. 1. § 9. h. t. Cavetur autem rectè vel per satisfactionem, seu per fidejussores, vel per pignorum sufficientium oblationem d. l. 1. §. 9. & II. h. t. l. 59. §. ult. mand. Et quanquam generaliter in omnibus stipulationibus prætoriiis satisfidatur l. 3. de prætor. stipul. personæque desiderantur intervenientium l. 7. d. tit. pignoribus tamen hic quoque caveri posse specialiter & contra naturam satisfactionis prætorix receptum videmus. d. l. 1. §. 9. h. tit.

XLIV.

Utroque modo simul, hoc est, re ipsa & cautione perficitur collatio, quoties nimirum quædam bona dividuntur, de quibusdam verò, utpote in occulto existentibus, cavetur. dict. l. 1. §. 11. vers. sed etsi. hoc tit.

XLV.

Quando in hypothefi consideratur collationis forma semper in ea id observatur, ut proportionibus hereditariis, seu quas quisque in hereditate habet, fiat, ita ut in constituendis partibus numerentur personæ, quibus confertur, iisque connumeretur persona conferentis: excludatur verò is, cui non confertur, quamvis hîc etiam ex bonis paternis partem auferat. Ubi tamen distinguendum, imprimis si rationem juris antiqui respicimus, quomodo emancipatus veniat, an per bonorum possessionem contra tabulas: an verò per bonor. possess. Unde liberi, si nimirum pater intestatus decesserit. Quo posteriori casu æqualis erit collatio, ut emancipatus fratribus illam portionem conferre necesse habeat, quam hi ex hereditate paterna communicant, verbi gratiâ, si emancipatus filius 300. in bonis habeat, concurratque cum duobus fratribus in potestate retentis, ipsis 200. confert, 100. tanquam virilem portionem detrahendo. Quod si vero (testamento condito) bonor. possessionem contra tabb. petat, aliter obtinet, ut interdum nihil, interdum minus quam ab intestato conferat uti ex l. 1. §. 3. & 4. h. t. patet: quæ de re prolixè agit Bachov. 2. D. 17. thes. 6. lit. E. & C. J. A. tot. th. 10. h. tit. ubi quoque refert, quod emancipatus interdum plus conferat, minus tamen auferat, sicuti exempla l. 1. §. ult. h. t. l. 2. §. 5. & 6. l. 3. §. 6. h. t. hoc ostendunt, conf. Bocer. Cl. 3. D. 13. th. 34. & seq.

D

XLVI. In



XLVI.

In foro Saxonico collatio adhibito Jurejurando, inprimis si bona fuerint mobilia, instituitur *Landr. lib. 1. art. 3. Schneidevv. ad §. 20. Inst. de action. num. 39. Wesenb. in parat. h. t. in fin. Coler. decis. 62. num. 4. Carpzov. 3. Constit. XI. def. 29.* Quod vel tum maximè quis præstare cogitur, quoties quid quantumve acceperit conferens differtur. *Carpzov. d. def. 29.* vel etiam quando coheredes, utrum plura ad conferentem pervenerint, dubitant, quo casu conferenti jusjurandum imponere, *Statuta Reipub. Hamburgens. part. 3. tit. t. artic. ult. ibidem concedunt.*

XLVII.

Venio ad effectum, qui alius est institutæ & perfectæ collationis, alius omissæ & recusatæ. *Priori casu*, facta nimirum collatione, hic inde oritur effectus, ut illi, cui conferendi onus incumbabat, actiones hereditariæ concedantur & competant. *Posteriori casu*, quando scilicet quis collatione fungi detrectat, eidem judicis officio *l. 8. C. h. t.* (cùm actiones denegare privati non possint, *Bachov. d. D. 17. th. 7. lit. A. B.*) actiones hereditariæ denegantur, *l. 11. 14. & 16. C. h. tit.* ut ita hereditas apud suos remaneat, *l. 3. in princ. h. t.* Qui tamen effectus quoad cautionalem collationem distinctionem recipere videtur: aut enim quis per contumaciam cavere renuit & huic in totum actiones hereditariæ denegandæ sunt, donec consilium mutet. Nec enim Prætor variantem repellit, nec consilium mutantis aspernatur *l. 8. h. t.* sed per oblatam postea cautionem pristinum Jus recipit, *l. 1. §. 10. h. t.* aut propter inopiam cautionem interponere nequit: quo casu *vel planè cavere non potest, ubi nedum quidem possessio portionis debita* statim ab eo transferenda est, id est, jus petitiæ bonorum possessionis ei non est illicò adimendum, sed sustinendum, donec possit invenire fidejussores facultatemque præstandæ cautionis nanciscatur, *l. 2. §. ult. hoc tit.* vel pro parte tantùm cavit, & pro ea saltem parte, pro qua cavere non potuit, actiones ipsi denegantur. *d. l. 1. §. 13. Coll. J. A. th. 12. num. 1. & seqq. hoc tit.*

XLVIII.

Affinis valde videtur collationi, ipsa hereditatis divisio, aded ut verbum dividere pro conferre in *l. 1. §. 11. & 13. h. t. & passim*, licet improprie

452
2.22

propriè, quandoque usurpari videamus. Differt tamen collatio à
divisione sicut antecedens à consequente, cum divisio ad bona
jam tum hereditaria & communia pertineat: collatio verò ad ea,
quæ nondum sunt hereditaria, sed in hereditatem nunc demum in-
feruntur, & cum bonis, cæteris commiscetur, referatur Brunn.
cap. 1. num. 67.

XLIX.

Quod attinet *contraria*, eorum in enarratione causarum non-
nunquam fuit mentio facta, quibus tamen rectè annumerari potest
alienatio rei conferendæ absque dolo malo facta, tunc enim cum de-
ficiat objectum collatio haud institui poterit. Itemque paterna pro-
hibitio: *arg. l. 1. cum Authent. seqq. l. 7. C. de collat. bonor. Wesemb.
in parat. de collat. dot. in fin. P. Stella in compend. exegesi mater. col-
lat. p. 284. præmiss. ubi consuetudinem Aurelianensem id minimè
approbare tradit. Atque hæc ita breviter pro instituti & tem-
porisatione de hoc difficili juris argumento
proposuisse sufficiat.*

Sit sanctæ Triadi Gloria, Laus & honor.



D 2

Allu-





Allusio ad nomen

Eximii & Prestantissimi Domini Respondentis

JOHANNIS Schulze Hamburgens.

Non tibi Prætoris factum est absque omine nomen
(Sive assessorem, vox ea, Schulze/ notet)

Sapius egregio stimulat nos nomine numen

Excitet ut posita, pectora, mercis amor.

Decurre, hoc studium, nil de fervore remittens

Metæq; curriculi, sella curulis erit.

Honoris memoriæque communis
convictus P.

Præses

Ad Eximium Dominum Respondentem

Amicum intimum & Concivem de COLLA-
TIONIBUS disputantem.

Factis dicta probas: dum, quis sit justior hæres,
Et collata quibus sint tribuenda, refers,
Ipse per eximio specimen non vile labore

In medium profers, cui sua dona manent.

Macte tuis ausis: studiis sic sedulus instas,

Confer & in medium plura, sequentur opes,

Patria personam, sic patria dona Parentes,

Diva Themis titulos, Lumina Fama dabunt.

Testandi sincerioris affectus ergo
Imq; f.


Rutgerus Rulanti


FINIS.

X 2615944

WOM







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

D JURIDICA

Disj. XX
439

2.22

IONIBVS,

1646, 6.

TE CLEMENTIA,

efidio

ssimi & Consultissimi

RI

ONIS TABORIS

lustri Argentoratensium
mini & Praeceptoris sui
colendi,

censura submittit

chulze Hamburg.

OR,

Septembris,

consuetis.

TORATI

ICI SPOOR.

XLVI.

